



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

293. Sabbato. Quomodo B. Virgo excelluerit in dilectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Sabbato. Domin. 17. post Pentecost. 517
pendam malum pro malo, sed beneficijs, &
orationibus malevolentiam superabo. 9.
Non cogitat malum. Non iudicabo temerè
aliena dicta, aut facta, sed in meliorem par-
tem interpretabor. 10. *Non gaudet super ini-*
quitate, congaudet autem veritati. Non gaude-
bo de malis afflictionibus proximi, sed com-
patiar, lætabor de bonis successibus. Veri-
tatem, qua mihi defectus mei libenter ape-
riuntur, libenter audiam, ut eos corrigam,
& emendem. 11. *Omnia credit, omnia sperat,*
omnia sustinet. Omnia credam, sperabo o-
mnia, officia charitatis ob bonum fratris
suscipiam.

MEDITATIO CCXCIII.

Sabb. Domin. 17. post Pentecosten.

*Quomodo B. Virgo excelluerit
in dilectione*

Videbo B. Virginem *dilectissimam omnium
dilectarum*, ut eam appellat Rupertus,
lib. 3. in Cant. Plenam qualitatibus, pro-
prietatibus, & effectibus amoris Dei; velut
*agrum amplissimum DEI, quem nullus alius
locus comprehendere potuit, plenum fructibus
dilectionis*, ut ait Andreas Hieros. Ora-
Annuntiat. Petam ab ea dilectionem Dei
in me augeri.

Conf. 1. Quomodo B. Virgo propter amo-
rem

rem

518 *Sabbato Domin. 17. post Pentecost.*
rem Dei dicatur *thesaurus amoris DEI Patris*
à Methodio. Orat. de Hypapan. ab Anselmo:
de Excell: Virg. cap. 4. *Amor MARIAE*
erga Deum superat cunclarum rerum amores.
Et D. Dyonyf. Areopagit. ait: quòd ex for-
tissima dilectione separata sit anima ejus
à corpore.

Conf. 2. Frigus meum in amore Dei, visis
d. festibus in me qualitatum ejus, & pro-
prietatum, atque fructuum? Dolebo, & ad
Deum supplex accedam, atque in amorem
Dei inflammari petam, de qua ait Epiphan.
Orat. de laud. B. V. quod sit *Clibanus in-*
tellectualis, ignem & panem vite habens. Et
Andreas Cretens. Orat. 2 de Assumpt. B.
Virg. ait, eam esse *columnam igneam, non car-*
nalem qua per lucem deducat Israellem qui fuga-
tur sed spiritualem, qua illuminet, facibus cogni-
tionis divinae, & in amorem Dei accendat. Petam
fieri particeps illius ignis divini, quia, ut ait
D. August. Tr. 3. in Joann. *Inter filios Dei,*
& filios diaboli, dilectio sola discernit.

MEDITATIO CCXCIV.

Dominica 18. post Pentecosten.

De Obedientia.

Aspiciam hominum **JESUM** factum obe-
dientem usque ad mortem Crucis. Pe-
gam eum imitari

Conf. 1